

miae, seu Collegii Sorbonici, et ad singula decreta fidei conficienda consilio et doctrina cooperatos fuisse, sicut credendum est ad morales constitutiones edendas jurisperitos Doctores adjuvisse. Hac enim ratione, in praedicto decreto generali, ait dictus Antonius Cardinalis: *Duximus habito suffraganeorum nostrorum consensu, ac multorum divini et humani juris interpretum consilio, his tantis periculis salubriter et celeriter providendum.* Ex hac ergo parte, Concilium illud magna pollet humana auctoritate; aliunde vero ex illius actis, verbis ac progressu, constat legitima auctoritate, et ex gravissima et honestissima causa fuisse congregatum, et magna prudentia et pietate, et debita subjectione ad Romanam Ecclesiam et antiqua Concilia ac decreta processisse; ergo credendum omnino est non defuisse illi singulare Spiritus Sancti auxilium, ut praesertim in doctrina fidei a veritate non aberraret. Denique, cum illud Concilium fere ante nonaginta annos fuerit celebratum, et per universam Ecclesiam divulgatum, in magna auctoritate, et sine ulla suspitione erroris apud catholicos semper fuit; et, quod caput est, Concilium Tridentinum quod post viginti annos celebratum est, in sess. 6 (quam dicto tempore absolvit), virtute approbat totam doctrinam de Gratia, quam Concilium Senonense traderat, quia eandem fere magis explicatam ac locupletatam docet ac definit. Igitur temerarium profecto esset in hac parte aliquid in illo Concilio reprehendere, vel ab ejus sententiis discrepare.

8. *Moguntinum ultimum Concilium.* — Quarto, his accedit Synodus Moguntina ultima, anno 1549, sub Sebastiano Archiepiscopo celebrata. Nam in priori parte, quae est de doctrina fidei, per decem prima capita catholicam de gratia doctrinam optime complectitur, priusque contra Pelagium, deinde contra Lutherum, nulla eorum facta mentione, definit; et ad illius auctoritatem fere applicari possunt quae proxime de Senonensi diximus. Est autem advertendum Concilium Senonense congregatum fuisse ante Concilium Tridentinum, anno scilicet 1528; Moguntinum vero post sessionem 6 Concilii Tridentini celebratum est, anno videlicet 1549, quo tempore Concilium Tridentinum intermissum fuerat, cum sessio 6 anno 1547 fuisset celebrata, licet nondum confirmata esset. Hinc ergo hujus Concilii auctoritas in hac parte maxime probata est, quod Concilium Tridentinum imitatum est, ejusque doctrinam in summam redegit. Quocirca, sicut Concilium

Senonense virtute est a Tridentino approbatum, quia eandem doctrinam tradidit et illustravit, ita Moguntinum dici potest in hac parte antecedenter a Tridentino probatum, quoniam ab illo doctrinam suam hausit, ideoque illius etiam auctoritate, tanquam certa, utemur.

9. *De institutione a Concilio promissa, sed non edita, et de ejus auctoritate.* — *De Enchiridion.* — *De Antididagmate.* — Est autem animadvertendum in aliquibus libris huic Concilio adjungi opus inscriptum: *Institutio ad pietatem Christianam.* Verumtamen opus illud non fuit a Concilio editum, nec probatum, sed (ut in eadem inscriptione dicitur) solum fuit institutio illa in Concilio provinciali promissa. A quo autem postea fuerit edita, ignoramus. Unde certum est solum habere privati scriptoris auctoritatem. Idemque observandum est circa quoddam Enchiridion fidei editum in Episcopatu Coloniensi, quod ab aliquibus modernis Theologis sub nomine Concilii Coloniensis allegari solet, cumque in illo multa de gratia et justificatione hominis tradantur, ea Concilio Coloniensi attribuunt. Re tamen vera illa non est doctrina alicujus Concilii Coloniensis, sed privati scriptoris auctoritatem habet, eamque non magnam; quia in expurgatorio Romano et Hispano, sub nomine Enchiridii christianae institutionis dicitur falso esse impositum Concilio Coloniensi, et in multis ad gratiam et justificationem pertinentibus expurgatur. Similique modo, etiam opus aliud quod *Antididagma* inscribitur, et a Canonicis Coloniensibus scriptum esse dicitur, privatam omnino auctoritatem habet, et utrumque opus in nonnullis rebus a multis reprehenditur, ut postea videbimus. Ideoque neque institutio Moguntina, neque Enchiridion Coloniense, illis Conciliis in tomis Conciliorum adjuncta sunt, neque in duobus modernis Conciliis Coloniensibus, quae in quinto tomo Conciliorum habentur, aliqua doctrina de gratia traditur.

10. *Omnia amplectitur Tridentina Synodus.* — Post dicta ergo Provincialia Concilia (Moguntino excepto), celebratum est Concilium Oecumenicum Tridentinum, quod in sess. 5, 6 et 14, copiosius et distinctius quam praecedentia Concilia, doctrinam de gratia et libero arbitrio tradidit ac definivit. Cum enim Concilium hoc errores omnium haereticorum, antiquos et novos perspectos haberit, tam copiose, erudite et distincte catholicam doctrinam tradit, ut et errores omnes damnat ac penitus extirpet, et quidquid praecedentia Concilia, et

antiqui Patres ac Pontifices de gratia et libero arbitrio, deque hominis justificatione tradiderunt, gravissime ac sapientissime confirmet. Est autem animadvertendum, Concilium hoc, in sua doctrina tradenda, optimo ordine processisse; nam prius, in sessione quinta, doctrinam de peccato originali et humanae naturae corruptione, seu in deterius mutatione per Adae peccatum, primum contra Pelagianos, et consequenter etiam contra Lutheranos proponit. Deinde vero in sess. 6, de Reparatione hominis lapsi, et consequenter de naturae impotentia et gratiae necessitate ad bene ac sancte operandum, et ad veram justitiam coram Deo obtinendam, catholicam doctrinam tradit. Ac tandem in sess. 14, quomodo possit justitia, semel habita, et per actualia peccata postea perditam, iterum recuperari docet; ideoque in his omnibus locis veram de gratia et sanctificatione hominis doctrinam inculcat, sed praecipue, magisque ex instituto, illam in sess. 6 tradit. Quia vero contra Pelagium ejusque reliquias multa decreta canonica jam antea edita fuerant, et novi haeretici innumeris errores circa Dei gratiam, et hominis libertatem, ac veram justificationem, remissionem peccatorum, operumque necessitatem, ac meritum multiplicaverant; ideo contra antiquos haereticos tribus tantum canonibus, et totidem fere capitulis doctrinam prius praestringit; postea vero per plura capita, et alios triginta canones, tam copiose, distincte et efficaciter novos haereticos insequitur, ut omnes eorum haereses damnat et evertat. Quae omnia ex discursu totius materiae evidentiora fient; nam hujus Concilii decretis nostram doctrinam praecipue confirmabimus, et in illis elucidandis, et juxta veram Concilii mentem exponendis, totis viribus incumbemus. Conduceret autem non parum ad ipsius Concilii intelligentiam, integra ejusdem Synodi acta inspecta habere; illa tamen haecenus typis mandata non sunt, neque manu scripta ad manus nostras pervenerunt.

CAPUT VI.

DE PATRIBUS QUI VERAM DE GRATIA DOCTRINAM NOBIS TRADIDERUNT, ET CONTRARIAS HAERESIS CONFUTARUNT.

1. *Patres ante Pelagium pauca de gratia tradidere.* — Quoniam vera doctrina de gratia inter haereses contrarias versatur, quarum altera liberum arbitrium, alia gratiam, ejusve necessitatem negat, ideo advertere oportet

haeresim negantem libertatem arbitrii, antiquiorem multo esse errore Pelagii negantis gratiae necessitatem. Unde factum est ut Patres qui Pelagium praecesserunt, saepe de libertate arbitrii ex professo disputent, et contrarias haereses impugnent; de gratia vero Dei pauca tradant, et non ex instituto, sed obiter, et quasi aliud agentes. Et ideo Pelagiani, multoque magis Semipelagiani, Augustino objicere solebant, quod novam doctrinam, et non solum antiquis Patribus vel contrariam, vel saltem invisam, verum etiam ab ipso antea non traditam, ad impugnandum Pelagium induceret. Ita refert Hilarius, Epist. ad Augustinum dicens: *Ad summam, fatigatis omnibus nobis, ad id prosecutio eorum, vel potius querela convertitur, consentientibus etiam his qui hanc definitionem improbare non audent, ut dicant, quid opus fuit hujusmodi disputationis incerto tot minus intelligentium corda turbari? Neque enim minus utiliter sine hac definitione, aiunt, tot annis a tot tractatoribus, tot praecedentibus libris, et tuis, et aliorum, tum contra alios, tum maxime contra Pelagianos (qui enim haec dicebant, Semipelagiani erant) catholicam fidem fuisse defensam.*

2. Eadem fuit Prosperi intentio in Epistola sua, cum dixit: *Illud etiam qualiter diluatur, quaesumus, patienter insipientiam nostram ferendo, demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur et una sententia qua propositum et praedestinationem Dei secundum praescientiam receperunt; et ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia finem uniuscujusque praeviderit, et sub ipso gratiae adjutorio, in qua futurus esset voluntate, et actione praescierit.* Nam licet haec verba de praedestinatione potius quam de gratia scripta sint, nihilominus quaestiones de gratia et praedestinatione inter se connexae habitae sunt, ut quae de gratia tota, seu de initio ejus dicuntur, de praedestinatione dicta esse credantur, et e converso: nam Augustinus unum ex alio colligere visus est et ab uno ad aliud saepe transitum facere visus est argumentando, ac subinde, ex eisdem Scripturae testimoniis, ambas de gratia et praedestinatione quaestiones definire; et ideo Semipelagiani a tota illa doctrina abhorrebant, et tanquam novam vitandam censebant. Quod his verbis testatur Prosper Epistola ad Ruffinum: *Ab hac autem confessione gratiae Dei ideo quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint, qualis divino eloquio praedicatur, et qualis opere suae potestatis agnoscitur, etiam hoc necesse ha-*

beant confiteri, quod ex omni numero hominum per sæcula cuncta natorum certus apud Deum definitusque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, et secundum propositum Dei vocantis electi. Quod quidem tam impium est negare, quam ipsi gratiæ contraire. Cum ergo idem de gratia quod de prædestinatione sentiant Semipelagiani, in utraque Augustini sententiam, tanquam novam, respuebant. Unde Prosper, in priori Epistola, ita de eisdem Semipelagianis ad Augustinum loquitur: *Scripta Beatitudinis tuæ validissimis et innumeris testimoniis divinarum Scripturarum proferimus, ac secundum formam disputationum tuarum aliquid etiam ipsi quo concludantur adstruimus: obstinationem suam retustate defendunt. Et ea quæ, de Epistola Beati Apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant.*

3. *Tria tempora perspicuitatis causa distinguuntur.* — Ut ergo Augustini doctrinam ab hac calumnia vindicemus, ostendamusque quanti sit ponderis in hac materia ejus auctoritas, tria tempora distinguere oportet, scilicet, ante Pelagium, exorto et durante Pelagio ejusque reliquiis, et post Pelagium ejusque hæresim prorsus extinctam: et de singulis temporibus his breviter explicandum est quid Patres illorum temporum de gratia senserint, quidve de illa scriptum reliquerint. De Patribus primi temporis, quod attinet ad controversiam de causa vel merito divinæ electionis aut prædestinationis ex parte hominis prædestinati, in lib. 3 de Auxiliis, c. 18, ostendi, licet quæstio illa ante Augustinum non fuerit ex professo a Patribus tractata, quia temporum occasio illam non postulavit, nihilominus nihil Patres antiquos docuisse sententiæ Augustini contrarium. Quia ubi requirere videntur præscientiam meritorum ad prædestinationem, loquuntur de prædestinatione ex parte ultimi effectus ejus, qui est collatio gloriæ. Ubi autem de primo effectu, qui est Dei vocatio, vel de toto negotio salutis loquuntur, illud referunt in gratuitam Dei voluntatem, ut ibi adnotavi. Hoc autem multo certius est de controversiis ad gratiam Dei spectantibus.

4. *Patres antiquiores Pelagio non Augustino contrarii: sed vera gratiæ fundamenta jecerunt.* — Unde duo dicenda sunt de Patribus Pelagio antiquioribus. Unum est, licet ex professo de gratia Dei non disputaverint, quia nondum in Ecclesia controversia illa exorta

erat, nihilominus nihil doctrinæ Augustini de gratia Dei contrarium docuisse, neque ullo modo Pelagii, aut sectatorum ejus, seu Semipelagianorum opinionibus favisse. Aliud est, in his quæ illi antiqui Patres, vel exponentes Scripturam, vel populum docentes, vel per aliam occasionem de gratia breviter docuerunt, virtute contineri veram doctrinam de gratia, quam postea Ecclesia contra hæreticos declaravit. Utrumque horum ostendi late in lib. 2 de Prædest., cap. 8, tum variis conjecturis, tum nonnullis Patrum testimoniis, tum ex dictis Pontificum, tum ex ejusdem Augustini responsionibus. Quibus nunc addo Paulum Orosium, lib. Apolog. contra Pelagium, in principio dicentem: *Patres, et qui jam quiescerunt martyres, et concordēs, Cyprianus, Hilarius, et Ambrosius, et quibus etiam nunc permanere adhuc in carne necessarium est, qui sunt columnæ et firmamenta Ecclesiæ catholicæ, Aurelius Augustinus et Hieronymus, multa jam adversus hanc nefariam hæresim absque designatione nominum hæreticorum scriptis probatissimis ediderunt.* Sed de Hieronymo et Augustino statim dicemus; de aliis vero antiquioribus intelligendum est, ut diximus, scripsisse contra Pelagium, non per se et ex professo contra illum disputando, sed veritatem illi errori contrariam docendo, quod de illis tribus Patribus, quos Orosius commemorat, in dicto capite 8 breviter ostendimus. Nunc vero, præter ea quæ, ex Cypriano, breviter contra Semipelagianos refert Augustinus, libro de Prædestinatione Sanctorum, cap. 14, ex libro de Mortalitate, et l. de Bono perseverant., cap. 2 et 19, ex libro de Oratione Dominic., et ex lib. 3 ad Quirin., cap. 4; præter hæc, inquam, addenda nobis est epistola secunda ejusdem Cypriani, quæ de gratia Dei inscribitur, ubi inter alia, cum de conversione sua, et de efficacia baptismi erga se multa dixisset, notandam sententiam profert, dicens: *In proprias laudes odiosa jactatio est, quamvis non jactatum possit esse sed gratum quidquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur, ut jam non peccare, esse cæperit fidei, quod ante peccatum est, fuerit erroris humani. Dei est, inquam, omne quod possumus.*

5. *Cypriani Ambrosiique de gratia verba.* — Præterea id comprobare possumus alia insigni Ambrosii sententia in epist. 37, lib. 5, ubi de epistola Pauli ad Ephesios ait: *Nulla epistola tantum benedictionis increpuit in plebem Dei, quantum ista, in qua non solum benedictos nos a Deo, sed in omni benedictione bene-*

dictos, et spiritali, et in cælestibus significavit divinæ locuples gratiæ testis, et prædestinatos nos in adoptionem filiorum, in filio quoque Dei nos cumulat gratia. Et infra: *Sorte nos in ipso constitutos, ut quæ sunt legis implerentur in nobis, et quæ gratiæ.* Specialius vero tam præparationem, seu præventionem, quam cooperationem divinæ gratiæ, verbis (ut sic dicam) Augustinianis declarat lib. 1 in Lucam, circa illa verba: *Visum est et mihi*, sic dicens: *Non ipsi soli visum est, non enim voluntate tantum humana visum est, sed sicut placuit ei (inquit) qui in me loquitur Christus, qui, ut id quod bonum est nobis quoque bonum videri possit, operatur. Quem enim miseratur, et vocat. Et ideo qui Christum sequitur, potest interrogatus, cur esse voluerit Christianus, respondere: Visum est mihi. Quod cum dicit, non negat Deo visum, a Deo enim præparatur voluntas hominum. Ut enim Deus honoretur a Sancto, gratia Dei est.* Et tract. in Symbol. Apostol., cap. 4, inde divinitatem Spiritus Sancti ostendit, quod *ubi vult, in quos vult, et quantos vult, et quantum vult inspirat sua propria voluntate. Repletque gratia sua quos vult, et quantos vult et quantum vult sua propria voluntate.* Quæ verba sunt profecto valde notanda pro gravioribus quæstionibus de efficacia divinæ gratiæ, et de divina electione ac prædestinatione.

6. *Nazianzeni jucundissima de gratia loca.* — Neque multum dissimilia sunt verba Nazianzeni, orat. 44 in sanctum Pentecostem, ubi hanc habet invocationem: *Ad Spiritus mysteria explicanda, Spiritus ipse mihi adsit, tantamque dicendi facultatem tribuat, quantam cupio; aut si non tantam, at certe quæ huic festi celebritati par sit. Ac profecto aderit heriliter, non serciliter, nec jussum aut imperium expectans. Spirat enim ubi vult, et super quos vult, quando et quantum. Sic nos Spiritu afflati, et cogitamus, et loquimur.* Unde idem Nazianzenus, orat. 19, § Sed inter omnia, enumeraturus varias Sanctorum virtutes, nimirum patientiam Job, Moysis mansuetudinem, et similes, hæc verba interponit: *Pro ea, scilicet gratia, quam quisque a Deo consecutus est. Quibus verbis et gratiæ necessitatem, et efficaciam, et voluntariam Dei distributionem docuit, ut ibi Elias notavit. Alium præterea locum ex dicta orat. 44 ponderavit August., lib. de Bonorum perfect., cap. 19, quem his verbis refert: Unius Deitatis, quæso vos, confitemini Trinitatem. Si vero aliter vultis, dicite unius esse naturæ, et Deus vocem dari vobis a*

Sancto Spiritu deprecabitur, id est, rogabitur Deus ut permittat vobis dari vocem qua, quod creditis, confiteri possitis. Dabit enim, certus sum. Qui dedit quod primum est, dabit et quod secundum; qui dedit credere, dabit et confiteri. Unde colligit Augustinus sententiam Nazianzeni esse, non tantum fidei confessionem, sed etiam fidem ipsam, quæ est justitiæ fundamentum, esse donum Dei. Verumtamen locus ille aliter legitur in nova Billii translatione, scilicet: *Trinitatem, o viri, unius Deitatis esse fateamini; aut si magis placeat, unius naturæ; atque hanc vocem (Deus) a Spiritu vobis postulabimus, dabit enim profecto secundum, qui dedit primum.* Juxta quam lectionem, per primum non intelligit fidem, nec per secundum confessionem fidei, sed per primum et secundum, intelligit unum et alterum modum confitendi Trinitatis fidem. Illi enim ad quos loquebatur, ab Arianis jam dissentiebant, et Trinitatem unius naturæ, seu Deitatis, esse fatebantur, adhuc tamen Trinitatem unum Deum esse, dicere verebantur. Ait ergo Gregorius sperare se, ut qui primum dedit, si in eo perseverent, det etiam secundum: quem sensum etiam ibi Nicetas notavit. Nihilominus tamen hoc modo Nazianzenus ibi fatetur, fidem esse donum Dei; nam cum dicit, confiteri Trinitatem esse unius Deitatis atque unum Deum, donum Dei esse, non intelligit solum de confessione vocis, sed maxime de confessione mentis, hanc enim persuadere conabatur; ergo illam præcipue intelligit donari a Deo, et deinde modum etiam concipiendi et explicandi tale mysterium.

7. *Insignis locus omnes adversarios gratiæ confundens.* — Est etiam insignis locus apud eundem Nazianzenum orat. 31, paulo post medium, ubi, tractans illa verba Matth. 19: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est, dicit: Cum audis Quibus datum est, adde: Volentibus datum est, atque iis qui ea animi propensione sunt. Etenim cum illud audis: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, idem tibi existimandum censeo. Quoniam enim nonnulli sunt qui, ob recte facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis adscribant, nec quidquam Creatori, et sapientiæ eorum auctori, ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant, his verbis docet Paulus, quod ipsum recte velle, divino auxilio indigeat; imo, ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa, et electio eorum quæ recta et cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans.* In qua senten-

tia optime convenit Nazianzenus cum Augustino, et non solum Pelagium, sed etiam Semipelagianos confundit. Addit tamen statim Gregorius expositionem illius testimonii Pauli: *Non est volentis*, id est, non est solius volentis, sed etiam Dei miserentis. Quæ expositio Augustino non probatur in quæstione secunda ad Simplicianum. Tamen, quidquid sit de expositione verborum Pauli (quod postea videbimus), in dogmate nulla est diversitas, nam quod Nazianzenus ait, velle nostrum non ita esse solius Dei, quin etiam sit ipsius hominis, certissimum est, et fatetur idem Augustinus supra, et in Enchiridio, cap. 32, et lib. 1 de Doctrina Christiana, cap. 23. Quod vero Augustinus magis explicavit, velle nostrum tribui etiam Deo soli, quia non solum adjuvat, sed etiam præparat voluntatem, hoc non negavit Nazianzenus, sed indicavit potius, cum, non contentus dixisse quod velle nostrum Dei auxilio indigeat, addidit: *Imo, ut rectius loquar, voluntas ipsa, et recta electio a Dei benignitate manat*, significans non solum cooperationem, sed etiam initium bonæ voluntatis a Deo esse. Unde postea adjungit: *Ita quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo jure totum Deo assignavit.*

8. *Optatus explicatus etiam facit.* — Præterea, Optatus Milevitanus, Augustino etiam antiquior (ut ex eodem Augustino constat, l. 2 de Doctrina Christiana, cap. 40, ubi eum tanquam jam mortuum allegat), Optatus (inquam), lib. 2 contra Parmenianum, versus finem, eundem locum Pauli tractans, partim gratiæ suffragari videtur, partim refragari. Dum enim Parmenianum reprehendit quod Donatianos defenderet, qui sibi sanctitatem, et innocentiam tribuebant, inquit: *Joannes Apostolus propterea non audent innocentiam, qui ait: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est.* Et adjungit: *Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam reservavit. Est enim Christiani hominis quod bonum est velle, et in Deo, quod bene voluerit, currere, sed homini non est datum perficere, ut post spatia quæ debet homo implere, restet aliquid Deo, ubi deficienti succurrat, quia ipse solus est perfectio, et perfectus solus Dei filius Christus; cæteri omnes imperfecti sumus, quia nostrum est velle, nostrum est currere, Dei perficere; unde Beatus Apostolus Paulus ait: Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis; ubi aliam expositionem horum verborum Pauli indicat, nimirum, velle et currere posse ab homine in hac vita fieri, perve-*

nire autem ad terminum, et ad perfectionem carentem omni macula, non esse opus hominis, sed solius Dei, nec vitæ præsentis, sed futuræ. Prætermissa vero nunc expositione, quod ad doctrinam attinet, cum dicit velle et currere esse hominis Christiani, non intelligit esse solius hominis, sed cum adjutorio gratiæ, quod Christianis hominibus etiam viatoribus Jatur, et ideo etiam dixit, hoc velle, et currere, esse in Deo, et peccati carentiam gratiæ Dei reservari.

9. *D. Ephrem nondum ortum Pelagium confutavit.* — Præterea Sanctus Ephrem, qui multo ante Pelagium scripsit, multa in suis operibus de divina gratia tradit, quæ cum definitionibus ab Ecclesia postea factis mire consentiunt. Nam in primo tomo, opuse. 33, de Timore animi, omnia tribuit divinæ gratiæ, et amicorum preces postulat: *Ut divina (inquit) gratia in anima mea resplendeat, mentemque tenebris circumfusam illuminet, promptusque ac dignus efficiar, precibus vestris mediantibus, qui penitentiam agam, et veniam merear.* Et infra: *Exhilarant undæ divinæ gratiæ, jubarque Sancti Spiritus nostra pectora, faciuntque, ut anima repente omnium rerum terrenarum, cupiditatumque carnalium, ac noxiarum obliviscatur; fervent igitur undæ divinæ gratiæ intellectum simul et animam; ac deinde comparat animam gratia affectam horto suavissimos fructus ferenti: Ita enim (ait) et divinæ gratiæ fructus, ac medicamenta nobis splendorem, dulcedinem lætitiarumque præbent, quod late prosequitur. Et inferius, opuse. 37, integrum habet tractatum, seu concionem de divina gratia, in qua variis modis ejus necessitatem tam ad vincendas tentationes, quam ad bene operandum declarat, et inter alia dicit: *Instar matris ubera præbebit tibi, et velut infantem ab insidiatoribus custodiet te, tanquam parvulum incautum gubernabit te, et in virum perfectum te formabit.* Quibus verbis initium et consummationem, ac proinde totum virtutis progressum gratiæ tribuit. Rursusque sermone 1 de Compunct., inter alia dicit: *Quanta nobis quotidie pro sua bonitate largiatur Deus, sedulo consideremus universi, semper ejus gratia corda nostra visitat, et si locum sibi paratum invenerit, ingreditur.* Et infra: *Cum ad nos visitandos gratia ingredi cupiat, cum introeundi et quiescendi in nobis, sicut volebat, non invenit locum, illico recedit. Verumtamen cor nostrum dulcedine luminis sui pulsat, ut respiscat, et intromittatur ipsa, ut sic lucis dulcedine allectus homo ipsam inquirit; nequit enim**

penitus nos gratia deserere; a propria enim ipsius benignitate eo adigitur, ut omnium nostrorum misereatur. Similia multa habet in tomo 2, in opuse. de Agone, seu luctamine spirituali, circa finem, ubi inter alia inquit: *Facta est gratia tua servo tuo refugium, et virtus, gloriatio, et protectio, et esca spiritualis suavitate et lumine plena.* Et in tomo 3 in sermone ascetico de Vita religiosa, versus finem, inter alia inquit: *Absque gratiæ adminiculo non prævalet cor Deo placere viribus suis, verum ut ipsi placeat, ab eo accipit, et ex ejus vino potum eidem offert, etc.* Et plura habet similia in sermone de Muliere peccatrice.

10. *Sequitur Macarius.* — Macarius item Ægyptius, qui fere æqualis fuisse creditur Ephrem, integrum fere scripsit homiliam de gratia Dei, quæ est 17 ex quinquaginta, quæ in tomo secundo Bibliothecæ nomine ipsius habentur, et e græco in latinum translata dicuntur ex Bibliotheca Regia Gallicana; ibi ergo inter alia in principio dicit: *Ob id quod homo transgressus est mandatum, diabolus operuit universam animam caliginoso velamine, verum postea accessit gratia, et exiit plane velamine illo, etc.* Et infra: *Quemadmodum sine aqua piscis vivere non potest, nec ambulare quis sine pedibus, aut absque oculis videre lumen, vel loqui cum lingua careat, aut audire sine auribus, sic sine Domino Jesu, et efficacia divinæ virtutis, non potest quisquam cognoscere mysteria, aut sapientiam Dei, aut esse dives et Christianus. Nam qui ducuntur, et reguntur secundum interiorem hominem a potentia divina, ii sunt sapientes, milites fortes, et philosophi Dei.* Multaque similia ex antiquis Patribus refert Coccius, lib. 1 Thesaur., a. 4, in quibus oportet ut prudens lector advertat, inter ea quæ de gratia Patres dicunt, etiam de libero arbitrio miscere sermonem, et interdum aliquas proferre sententias, quæ, nisi in debito sensu accipiantur, cum locutionibus Semipelagianorum affinitatem habere videri possunt. Verumtamen Patres eo tempore simpliciter et fidenter loquebantur, quia nondum Semipelagiani exorti erant, neque pravus illorum sensus in suspicionem venerat. Re tamen vera nunquam illi Patres tribuunt soli libero arbitrio meritum gratiæ, neque bonum ac pium illius usum a gratia separant, sed solum docent cum gratia esse necessarium, ut ex aliis eorum verbis et sententiis manifeste constat, et in dict. cap. 8, lib. 2 de Prædest., latius explicavimus.

11. *De secundo tempore, et auctoritate Hieronymi et Augustini.* — Orosius in apolog.

contra Pelagium. — Sequitur dicendum de secundo tempore, in quo Pelagius errorem suum contra divinam gratiam seminare cœpit, contra quem eodem tempore duo Ecclesiæ lumina, quæ tunc erant columnæ et firmamenta Ecclesiæ, Hieronymus et Augustinus, ut Orosius dicit, pro divina gratia pugnarunt et accuratissime scripserunt. Quorum virorum tanta fuit semper auctoritas in hac præsertim materia, ut ad obturanda hæreticorum ora sufficiat. Unde, Gelasius in epist. 5 ad Episcopos per Picenum contra novum quemdam hæresis Pelagianæ prædicatorem, sic inquit: *Adhuc majus scelus accrescit, ut sub conspectu et præsentia sacerdotum, beatæ memoriæ Hieronymum atque Augustinum, Ecclesiasticorum lumina Magistrorum, musca moritura, sicut scriptum est, exterminans oleum suavitatis, lacere contendere.* Unde idem Gelasius Papa, in cap. Sancta Romana, non solum Hieronymi opuscula ab Ecclesia Romana recipi, sed etiam in materia de gratia et libero arbitrio, ea se dicit sentire quæ Hieronymus sentit; et liberos Rufini, qui a sententia Hieronymi in hoc discrepant, hoc maxime titulo suspectos habet, et apocryphos reputat. Ante Gelasium etiam Paulus Orosius, cum ipsomet Pelagio in sacerdotum conventu disputans, horum duorum virorum auctoritate maxime illum confundit, dicens: *Hoc Augustinus Episcopus scriptis suis, sicut audistis, exhorruit: hoc in ipsius nunc Pelagii scriptis sua responsione condemnat. Hoc et B. Hieronymus, cujus eloquium universus Occidens, sicut ros in vellus expectat, in epistola sua, quam ad Ctesiphontem scripsit, condemnavit. Similiter, et in libro quem nunc scribit, collata in modum dialogi altercatione, confutat.*

12. *Quæ contra Pelagianos Hieronymus docuit.* — Ex quibus verbis intelligimus, primum opus a Hieronymo scriptum contra Pelagianos fuisse epistolam ad Ctesiphontem, postea vero dialogos contra eosdem elaborasse, eo tempore quo Orosius apud ipsum Bethleem hospes erat, et ad pedes ejus sedens (ut ipse ait) timorem Domini discobat. Et quamvis Orosius unum tantum videatur dialogum contra Pelagianos commemorare, tamen sub illo totum dialogorum opus comprehendit. Quorum mentionem facit idem Hieronymus in Proem. lib. 4 in Jerem., ubi de Pelagio ait: *Non solum in Occidentis, sed et in Orientis partibus sibilare, et in quibusdam insulis, præcipueque Sicilia et Rhodi maculare plerosque, et crescere per dies singu-*